34.6.E.5. 182 20

R. P. PLACIDI FILINGERII NEAPOLITANI

CLERICI REGVLARIS

In funere

ALEXANDRI PERETTI CARD. MONTALTI.

ORATIO

Habita Romæ in Templo S. Andreæ Cleric. Regular. ad eodem Cardinali ædificato.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMAE, Apud Iacobum Maſcardum. 1623.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. Mag. Sacri Pal. Apoſt.

A. Epiſcopus Hierac.

Imprimatur, Fr. Dominicus Paulaccius Magiſter & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Nicolai Rodulfij Ord. Prædic. Sacr. Apoſtol. Pal. Mag.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO D.

D. FRANCISCO PERETTO ABBATI CLARAVAL. &c.

PLACIDVS FILINGERIVS S. P. D.

MIRABITVR prudens quilibet me planam hanc, ſimplicem, ac artificio nudam oratiunculam edidiſſe in lucem, non tam ingenij quam amoris partum: & ſi enim me dicentem lachrymantis populi plauſus animauerit, ſcimus legentium, quam audientium moroſius eſſe iudicium, vt multa audientibus arrideant, à legentibus derideantur: verum hoc argumento liquebit, quod plauſus ille ac fletus non ex concinne dicentis arte, ſed ex narratarum amplitudine rerum, ac populi erga laudatum Cardinalem noſtrum inaudita affectione ortum

Digitized by Google

duxerit. Tu benigne excipe munuſculum hoc, munuſculum dicam an debitum? debitum ſane, cum enim ſub patrui tui Cardinalis noſtri, dominio omnia noſtra & fuerint & ſint tibi omnia hæreditario iure debemus, vt cui virtutis, ac magnanimitatis obuenit hæreditas, ei dicari contingat, & laudem, oblatiunculam noli contemnere, eſt enim purum affectiſſimi cordis indicium; nullius obſequium contemnendum eſt ſi cum amore coniungatur, nec leuia data ſunt, quæ amoris pondere onerantur; adulationis ficta ſpernere fortitudo docet, ſed cordis ac pupillarum ſuccum deſpici non patitur magnanimitas. Quos nigricantes aſpicis characteres non ſunt atramento, ſed lachrymis, ac atro ſanguine efformati; & quem cruorem vt Montaltus viueret, lætum fudiſſem, ac rubrum, eo moriente mœſtum tradidi ac atra bili obtenebratum, qui ad natiuum colorem redire nequaquam poterit, ni forte coram amplitudine tua videri erubeſcat, ſed benignè intuere ſi enim tu reſpexeris nemo deſpiciet; noli ad te patrui tui celſitudinem ſine clementia deriuaſſe, & qui hæreditate capis amari, tene amare. Vale.

ORA-

ORATIO.

Regnorum,quę Occidentalis Eccleſię ſinus intercludit,funeſtum carmen,ac lamentationes enarrare ſi velim,quibus Itali,Germaniq. populi, Galli, Hiſpani, atq; Poloni funera Alexandri Cardinalis Montalti concelebrant atra pompa doloris, ac lachrymarũ;hæc,inquam,ſi enarrem,illud,Auditores obijcietis quod minuat narrationis fidem beneuolẽtia narratoris,ac ſuſpecta ſit laus in ore eius,quā noſtis,& fateor,ſumma à laudato beneficia excepiſſe.Ergo Romæ nullus poterit de Montalto benedicere, quia nulli nouit Montaltus non benè facere;ſi alium optatis cuius laudatio, ac fides à beneuolentiæ ſuſpicione videatur immunis, aliquẽ quærite,cuius vtilitas à beneficentiæ participatione fuerit ſegregata: At quis erit? ſtatus,ordines, conditiones ſingulas perluſtrate, neminẽ quippe reperietis. Religionum,Reformati Auguſtini Regulares,Cæleſtini cætus inſignis,Capuccinorũ orbi,ac Regibus veneranda humilitas. Benedicti familia Sanctorum ſchola,ærarium Petri,æmula ſæculorum omnes in Cardinalem protectorem recepere Montaltum,ſub cuius vmbra quietem,ſub cuius magnificentia aurea ſæcula experti modo Patrem recolunt ſuſpirãt,ac grata vice protectionis vmbram lachrymarum humore compenſant: Præſtantiſſima Dominicanorũ Minerua, erudítiſſima Ieſuitarum academia, Clericorũ, quos Minores vocamus Maximi cum ſint,familia, oratorem non beneuolum afferre nõ poterunt,omnes enim corde gerunt liberalitatẽ,ac nomen Cardinalis tui. Quis Romæ occurret aut Magnus,aut paruus Montalti amore non affectus? ipſe Principibus conſanguineus erat,nobilibus Princeps,populo charus, pauperibus pater, virginibus tutela, ciuibus vmbra,aduenis refugium,Collegio corona,Ducibus,& Regibus magnanimitate,ac fide,vt vno verbo dicam,Montaltus,aut altero Alexander. Vt ergo mea,ita & nullius laudatioab affectionis ſuſpicione eſſet aliena. Nunquid igitur, quia Montalti gratias accepere omnes nullus referet? aut quia omnes laudare debent nemo laudabit?Summa ſane laus in omnibus nõ tam laudem,quam laudis materiam quæſiuiſſe,nec vllum reliquiſſe magnificentiæ ſuæ teſtem legitimum,quia omnes voluit partes gerere largitatis,ac beneficiorum, vt adeo fuerit in cunctis laudabilis vt à cunctis modeſtiæ ergo taceatur: egregium quippe atq; diuinum laudem ſilentio comparaſſe. Silebo;neque enim huc aſcendi viuentis Cardinalis excelſas virtutes,ac præclara facinora coaceruare,ſed morientis Cardinalis tui,ac mei ſucceſſum tecũ,Roma. collachrymari.eloquendi inſcius flendi peritus adero, ita mulieribus ac pueris lingua inualidis promptã lachrymarum orationem artifex natura cõpoſuit luctus,ergo mei cauſã eximium erga Montaltũ amorẽ eſſe,ſuccifis fletu accẽtibus proclamabo.

In cordibus virtutis affectione calentibus, heroici viri fama aura eſt, qua amoris flamma ſuccenditur magis,ac excitatur, amoris iacula ſi è

 fa-

famæ alis plumas mutuentur ocius tranſuolant,profundius infiguntur. itaque cum per Italiæ Prouincias ab Vrbe remotas peragrarer Campaniam,Etruriam,Inſubriam , atq; inter medias regiones,vbique Montalti nomen fama vehebat adeò ac perſonabat, vt non modo Sereniſſimi Italiæ Principes,Hiſpani Duces,Eccleſiarumq. Paſtores, verum plebs, mulieres,pueri Montalti magnalia ſcirēt,& enarrarent;ſingulis diebus Cardinalem noſtrum aliquod magnanimitatis facinus ediſiſſe rumor erat. Audiebamus Alexādrum Perettum modo Principes ſplendore ſuperaſſe, modo labentem familiã ſuſtinuiſſe,modo pauperis puellæ periclitantem virginitatis florem aureo rore ſeruaſſe. Modo ære alieno oppreſſos proprio ſubleuaſſe, vt facilius viderentur,l. triginta aureorum millia à Montalto donari,quam ab indigēte deſiderari,aut ſingulis annis circiter quadragena millia aureorum auidius erogaret Montaltus, quam cumularet auarus; ſic vitæ curriculo prope duo millia millium aureorum pijs operibus,Alexandri magnanimitatem abſumpſiſſe opinio fert. Egregius plane vir,qui diuitias quæſiuit vt perderet, æſtimaret vt ſperneret,accepit, vt donaret, qui theſauros Regie poſſedit , philoſophice ſpreuit chriſtiane diſtribuit .

Alij Alexandri Peretti veritatem, ac dictorum fidem extollebunt , vt quęlibet Montalti ſpōſio publica cautione firmata videretur apud Montaltum dictum & factum nullo tractu diuidebantur. Montaltus dixit, dixit,& facta ſuut,proprium diuinitatis elogium. Imo verbo breuis: actione profuſus docuit ad hoc naturam dexterã lingua longiorem cõdidiſſe. Ita apud Principes,ac Prouincias reuerentiam ac fidem Montalti nomen adeptum eſt:Etruriæ montes Montaltum reſonant , Sereniſſimiq. Magni Duces Alexādro Card. ſumma erant affectione deuincti. Bononia Montalti Legati tempora extollit ſub quo lætantibus omnibus ſolum doluit fiſcus,cuius res tunc ſe male habent , quando Princeps eſt bonus : Ibi nõ modo omnia legationis ſtipendia,ſed inſuper multa aureorũ millia erogabat in pauperes, vt eo tempore non Legatus à Prouincia, ſed Prouincia à Legato ſtipendia exigere videretur. Magnus Legatus qui nouit legationis ſuæ non ſtipendia, ſed diſpendia numerare,qui muneris non introitum,ſed exitum adnotauit,qui Prouinciam pauperem diues inuenit, ac pauper diuitem dereliquit. Mutinæ Princeps quàm tenaci, ac tenero corde Montalto adhæſerit ſcimus. Mediolani cum degerem Feriæ Duce eius vrbis Gubernatore audiui inter Hiſpanos Montaltum in Ducali aula reſonare. Quid de Sabaudiæ,ac cæterorum Italiæ Principum deuotione anne ctam? Etiam vltra montes Montalti faſtigium,ac Maieſtas apparebat: Mediolani immorabar, & ecce pertranſibant Germani peregrini, qui viſa Romæ mirabiliter recenſentes narrabant ſe vidiſſe inter moles Vaticanam,inter columnas Traianam, inter ſacella Paulinum , ac inter viros Montaltum: quanta eſſent in itinere perpeſſi recolentes quos labores, quas penurias in Vrbe ſuſtinuiſſent in Mõtalti tamen palatio victũ, ac pecuniam large accepiſſe fatebantur : hæc per Germaniæ remotiſſi-

mas

mas plagas peregrinorum ore diuulgata egerunt, vt non modo inter catholicos, ſed & inter hæreticos Alexandri Peretti magnanimitas imperio digna duceretur. Poloniæ Rex,ac remotiſſimum regnum Montaltum elegere,vt ad ipſos poſſet Cardinalitiæ protectionis vmbra pertingere. Et quid dicendum ſi vera fatētur qui narrant etiam in Ottomani Turcarum Imperatoris regia aula inter picturas Ducum, ac Regum noſtræ ætate inſignium auro gemmiſq. ornatā Montalti effigiem enitere? Hæc Alexandri Cardinalis fama erat: Quid in humano pectore fama nō potes? Socratis Platonis compoſitos mores,magnanimamq. philoſophiam audimus, ſtatim erga eos animus excitatur,fertur,veneratur. Perlegimus Æneam paternæ ſenectutis ſarcinam pijs humeris inter Troiæ incendia vectitantem, ac omnes noſtris lachrymis flammas illas cuperemus extinguere. Scipionis victoria Cæſaris bellicus labor,Alexādri vaſtus animus cum audiuntur diliguntur.Qui ergo audire poterant noſtra ſæcula edidiſſe Cardinalem Alexandrum Magno Maiorem, qui ſine milite ſine theſauris, ſola magnanimitatis,ac veritatis vi tot populos, Italos,Hiſpanos,Germanos,Polonos,Barbaros,Hæreticos,Turcas Orbem gloriæ,ac famæ ſuæ ſubiugauit imperio,ac tantæ virtutis amore non efflagrare? Vehementius religioſa corda pulſabat Cardinalis noſtri erga Virginem deuotio,ſacri cultus religio,eccleſiæ zelus,virtutum omnium theſaurus,innumera prætereo, nō enim tam dicendi quærenda eſt copia, quam audiendi vitanda ſatietas. vnum non ſilebo, vt diſcatis ex vngue Leonem,Leonem enim Montaltum vaſtus animus gentilitia ſtemmata, aſpectus ipſe indicabat. Inferni fraude adoleſcentula regionis huius facile pulcherrima paupertate compulſa, pecunia pudorem commutare moliebatur,hæc Montalto oblata eſt:ò aurum verè dulce pudoris venenum. Nulla Atalanta tam fugax,quam auri maſſa non remoretur, nulla virgo eſt, nulla candidi vellens agna. quæ non magis cupiat aureo vellere ſeperueſtiri, nullius puritatis niues accenſa cupidinis flamma non liqueſcunt. Quæ pulchra Proſerpina eſt quam diues Pluto non rapiat? quis erectus,animus quem auri pondera non incurrunt? itaque cæleſtem caſtitatis theſaurum adoleſcentula prodigere parabat;lugebāt Angeli,ac liuidè collætabatur infernus puellam expectans,immundam, proſtratam,ſacrilegam voraturus. Heus Montalte,hæc vides,& pateris? Siccine Alexander coram te aurum pudoris iura violabit? Sic ſic Montalte auri triumphator, te vidente aurum de virgine triumphum referre patieris? Eia magnanime,age, egregium quid expectamus. Ecce magnanimitatis,ac pietatis heros ſurgit duo aureorum millia accipit,puellæ largitur in dotem. impudentiæ obiurgat, &,quod erat venale, decus ſeruat illæſum: ſic auri telis oppugnatam auri ſcuto protexit. & puritatem ne auri venena ſentiret, auri antidoto præſeruauit; ecce tartarus gemit,lætatur empyreum, miratur aula, decoratur Eccleſia, ecce Benedictum Patriarcham aureis ſpinis Venerem effugantem, ſpinæ namque ſunt diuinæ. Ecce verum Iouem,qui cygni candorem præferens, auri

plu-

pluuia Danaes pudorem non corrupit,ſed conſeruauit. Nicolai in triū virginum dotes aurum largientis ſanctitatem ad ſydera noſtra quoque tempora extollunt. at Montaltum ſingulis annis auri dotem centenis puellis magnificè effundentem, quæ poterunt ſæcula reticere? Cardinali noſtro cælos ſumma maieſtate intrant i quot adoleſcentulas virginali, aut caſti coniugij puritate decoras de ſeruato pudore, ac ſalute gratias retuliſſe putatis? his lilijs Mons Altus noſter in cælo floret, & coronatur. diſcite Principes magnanimum pudorem imitari, atque huc Eccleſiæ aurum tendere. O fœlix Montalti aurum ſeruati pudoris pretium, patrimonium pauperum,labentium baculum,peregrinorum ærarium,purpuræ decus,Cardinalitiæ,regiæq. liberalitatis inſigne (hoc auro mundo cæleſtis ciuitatis platea cōſtruitur) aurum non in imis terræ viſceribus prope inferos genitum,ſed in vertice Montis Alti Olympo appropinquantis. Pecuniæ cumulos ad miſerorum iuuamen erectos montes pietatis vulgus appellare conſueuit, ita omnipotens ad pauperes,ægrotos,viduas,pupillos,carceribus emancipatos,peregrinos ſubleuandos hunc Montem Altum,ac magnum pietatis erexit Deus, ſic non potuit his aureis catenis omnium non illigare animos,his aureis iaculis ſingulorum corda non confodere,quis omnium corda rapuit quem fama,quem aura vehebat,quem Vaticanas aut Quirinales ædes petentem equitum,ac curruum copioſior turba comitabatur, turba non Sixti V. beneficijs conducta,ſed Alexandri Peretti liberalitate captiua,quem omnes corde gerebant,euehebant lingua,quem fouebant oculis, quem venerabantur obſequio,cui Mathuſalem annos deprecabantur, quem omnes in Pontificia Petri Sede videre cupiebant niſi Montaltum? Sed impediuit Deus forte ne Petri æraria funditus euerterentur, ac pauperes Eccleſiæ paupertate diteſcerent,aliud enim malum à Montalto timeri non poterat: melius ſane dixiſſem,quia tantum virum populi piacula non merebantur,ac ferrea noſtra ſæcula auream ſub eo ætatem redire non paterentur. Cum igitur matura iam ætate ſpem omnium vota conciperent (ò mortem humani conſilij diſſipatricem) (heu quo mea vergit oratio) inopinatus per vrbem rumor emanat, Montaltus ægrotat, dolebant omnes, ſed febris initia fatua ſecuritate paruipendebant:perſeuerat morbus,augetur, atque vitæ periculum imminere comperiunt; tunc ecce turbatur familia,horreſcunt conſanguinei,vrbs tota ſuſurrat, Montaltus? Montaltus? Montalti vita periclitatur? heu nos;hac fama confirmata & aucta,medicis eius ſalutem deſperantibus profundus mœror,ac dolor omnium corda occupauit, transfixit, pauperes, virgines pueri, peregrini, carceribus detenti,aduenæ,ciues,Principes, Cardinales, Pontifex,vrbs tota ingemuit. nullum fuit Templum,in quo Euchariſtia expoſita Montalti ſalus à Deo non peteretur. innumeri vitam ſubſtentabant pane doloris, & aqua lachrymarum, infantes per vrbem nudis pedibus procedentes altis vocibus clamabant in cœlum.quadringentorum virorum,ac mulierum turba lacrymis, ac precibus montem

San-

Digitized by Google

Sanctæ Mariæ Maioris genibus conſcenderunt,omnia mœſta , omnia nigra, atrati parietes,e domorum feneſtris atræ veſtes dimitteb intur, artifices in officinarum ſuarum poſtibus,quæ nigra habebant artis ſuæ inſtrumenta,aut opera dolentes expandebant. notiſſima quoque res eſt,ac inaudita hebræos eleemoſynas,ac ieiunia indixiſſe , Eccleſiæ ſinagoga condoluit. Solis inſigne fuſco velo coopertum eſt,luctus,ac tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam vrbem. bone Deus, qui fide petentibus omnia ſpopondiſti,& ſi monti dicerent,tollere , ac mittere in mare cur Eccleſiam orantem Montem altum iſtum è vita non tolli,non exaudiſti? ita Roma,ad Cardinalis ſalutem æterno erat,impetrabilique conſilio deſtinatum. noſtras preces exaudiuit Deus non ad noſtram voluntatem, ſed ad eius vtilitatem; imo ad noſtram voluntatem, cum enim tot Cardinali vitam petentibus, nec plurimorum ſæculorum ætate ſatisfacere poſſet, æternam vitam ei largiri noſtris ipſis precibus coactus eſt. Itaque ingraueſcente febri, labente virtute,nocte hora ſexta Alexander Perettus Cardinalis Montaltus Principum maximus Cardinalium phenix, pauperum pater, Romæ oculus viam vniuerſæ carnis ingreditur. moritur Montaltus. nunc lachrymis, ac ſuſpirijs laxantur habenæ. Vicecancellariæ palatium euadit domus lugentium , ac lachrymarum, nuntium per Vrbem nigris alis fama funeſta fert, caligineq. offendens aerem Romam mœſta flentium , ac clamantium confuſione commiſcet, languent in plateis,pauperes,ſub tectis viduæ,in vinculis captiui, Principum aulæ,Religioſorum clauſtra profunda mortis meditatione horreſcunt. Non poterat Vrbs non flere, cum mors in Montaltum vrbis oculum puluerem inieciſſet. Vtinam Roma vidiſſes noſtra clauſtra noſtras cellulas,ò quale ſpectaculum,qui mœſti vultus,qui prægnãtes oculi, quæ humiles ceruices, quæ corda amara; dolore ſtupentes occurrebamus, nec iuxta morem ſalutationis verba proferebamus, noſtri eramus obliti, lætitia ex corde,verba ex ore diſceſſerant. o Montalte Montalte: quidam ex noſtris plus doloris Montalti,quam Patris ſui mortem afferre affirmabant, alij dixere ſæpe ſe vitam ſuam Deo obtuliſſe, vt Montaltus viueret. Omnes optare potius Montaltum viuum, quam decem ex nobis in Cardinalatum aſſumptos ingenuè fatebamur. Montaltus, Montalti ſolus amor, ſolus aſpectus,ſola vmbra exhilarabat,Pater nobis, decus, ac corona videbatur. Sed inter alios,quo ego fui præcipuo dolore attritus,cum iacentem in feretro,circa primam noctis horam è Vicecancellariæ palatio in adiacens Diui Laurentij templum inter faces,ac preces meis humeris tranſportaui? O charum pondus,ſiccine amor meus pondus meum cor vna premis,& humeros, vt inde lachrymas eruas,hinc ſudorem? ferebam mortuam vitam pauperum; anima mea magis erat in cadauere, quod amabat,quam in me,quem animabat. erat illud meo amori viuum, ego eius dolore è mortuus, ſic ſtupente natura viuum cadauer defunctus baiulus efferebam; iacebat ille morbo defunctus,ego eram dolore attritus,ac nouo miraculo mortuum

ve-

vehebat occiſus. Animæ meæ dimidium cadaueri, dimidium mihi vniebatur, & quia neuter integram animam habebat neuter viuebat, vterq; dimidius, vterque febri mortuus alter caloris, alter amori: alterum animæ meæ dimidium exhalare voluiſſem, ſed timui ne me pereunte alterum Montalti dimidium deperiret, ſane ſi dimidiam animam Montaltũ habere nõ cognouiſſem, alterũ dimidium amiſiſſem, non amiſi, ſed totam animam in Montalti pectus tranſtuli, at cur non reuixit? fortè quia tam magnanimo pectori viuificando paruus meus animus non ſufficiebat; ideo dimidiam animam reſumpſi, eratque anima ibi amans, hic dolens, vtrobique inferni cruciata dolore, in amati Montalti pectore flammis, in lugentibus meis oculis lachrymarũ aqua affligabatur. O quã fortior es morte dilectio, illa animam diuellit à corpore, tu indiuiſibilem animum ſecas in partes, vt ſim partim viuus, partim mortuus cum perierit amor, & vigeat dolor. ò cælum aut vitam redde amato, aut vitam tolle dolentis. Hæc cum mente peruoluerem lachrymarum alluuionem exundans ad me, & ſocios meos quidam ex populo commiſerantes accurrerunt dicentes, Patres ne vereamini prouidebit Deus, putabant iſti dolorem noſtrum oriri, quia nos, ac templum noſtrum copioſiſſimas eleemoſynas amiſeramus, ah quantum dolui, Papæ quantũ nobis plebs iſta crimen imponit vt non Montaltum, ſed Mõtalti diuitias lugeamus, nobis hæc? nobis qui pro Montalto, Templum, aurum, ſanguinem fudiſſemus? nec enim nos tam viles noſtra natalia ediderunt, turpiſſimam maculam generi noſtro inieciſſemus, nunquam inferremus tantum crimen gloriæ noſtræ, quam putamus calcare diuitias, venerari virtutem. Quid? quid? diuitias, eleemoſynas? ampliſſimæ fuerunt fateor centum ſexaginta millia aureorum largitus eſt nobis; ſed teſtor Deum viuum, acerbiſſimi doloris mei cauſa fuit amor Montalti: Montalti mei magnanimitas, veritas, maieſtas vbi eſtis? Sorbe tellus diuitias tuas, & redde mihi Montaltum meum. Terra vorax commutemus, pande fauces, ſuperbamque molem hanc profundo abſorbe hiatu, & tantum redde nobis Montaltum noſtrum nolo Montaltum diuitem, peto Montaltũ charum, Montalti non dona, ſed dextera, non aurum, ſed animus, ſed cor nos illigauit. Noſti equidem, noſti vota tuorum Montalte dulciſſime, lachrymæ ſiſtite vt loquar, Defuncto Cardinali bini cubicularij arcam plumbeam ad nos deferunt, ibi contenta, & cauſam exponunt: Cardinalis moriens teſtamento voluit corpus ſuum in Sixti V. ſacello ſepeliri, cor atque viſcera quæ in hac vrna plumbea aſſeruantur dono miſit vobis Patribus Sancti Andreæ, accipite: liqueſcentibus omniũ animis obortæ ſunt lachrymæ, ac verba fletu intercidente, nemo nuntijs, etſi nobilibus, reſpondebat. Siccine Montalte noſtrorum cordium erga te flammas voluiſti, ne vnquam extinguerentur, cordis tui cineribus conſeruare? Montalte mi maieſtatem tuam noueramus, liberalitatem tuam eramus experti, ſed teneram animi tui affectionem nunc ſentimus, quid Pater, quid amans, quid ſponſus amplius egiſſet? dediſti nobis cor: id

au-

augurari licebat cum erga nos amoris, ac diuitiarum theſauros expanderes, vbi enim theſaurus tuus,ibi cor tuum, id augurari cum viuens cor nos tam ardenter amaret, vt quorum fuerant flammæ, eorum eſſent & cineres. Princeps iuſtiſſimus, vt furto ſublata reſtitueret morti vicinus, quia noſtra corda rapuerat ſuum nobis cor teſtamento reliquit; at quo æquitatis iure pro tot cordibus vnum? vnum erat, ſed ingens, & vaſtum, quod innumeris æquipollebat, aut cum cor ſuum tradidit omnia noſtra reddidit, quæ illi erant annexa. Tribus quaſi elementis conſtabat Alexander ſpiritu, corde,& corpore, mixtum hoc morte ſolutum eſt, tunc ſingula ad natiua loca rediere,ſpiritus euolauit ad Deum, corpus ad Sixtum V. ſibi carne coniunctum,cor quod noſtrum iam erat nobis tradidit. In Montalti pectore duo pugnabant amores Sixti V. ac Clericorum Regularium, ibique de cadauere contendebant, Salomonis ſententia iudicata res eſt, nec illi, nec iſti,ſed diuidatnr, Sixto corpus, nobis cor dedit, ſed quibus dedit cor, dedit totum, totus enim Montaltus cor erat & magnanimitas; nunc vere magnificum hoc Templum videtur, cum tam magnanimi cordis factum eſt capax; Cleopatræ conuiuium æmula prodigalitate paranti ob inſignem margaritam attritam in pulueres dictum fuit viciſti, ſed noſtro delubro ſuperbas Romæ machinas æmulanti dicant cætera viciſti, non lapidum pretio, non architectura maieſtate aut forma, ſed propter inæſtimabilem gemmam carbunculum illum Montalti inquam cor redactum in pulueres; ſumma Baſilicæ iſtius gloria erit cum dicetur, huic Clericorum Regularium Templo, vt omnium corda raperet, cor ſuum ſepeliendum tradidit

Alexander Perettus Cardinalis Montaltus Sixti V. carne Nepos, gloria æmulus, animo maior, Veritatis aſylus, magnanimitatis ſedes, liberalitatis fons, Purpuratorum phœnix, Principum Princeps, magnanimorum maximus,Fidelitatis ſplendor, Romæ oculus,omnibus charus Aurei ſæculi inſtaurator. Areſcentem pauperiem aurea pluuia refecit; Virginitatis flores aureo rore ſeruauit, Labentes familias aureo baculo ſuſtinuit;Carcerum vectes aurea lima diſſecuit;Fluctuantes animos aureis ancoris firmauit; Auaritiam aurea procella merſit; Nudos aureo vellere texit; Principes aureis haſtis ſuperauit; Templum hoc magnum aurea arundine metitus eſt, Romanos ciues aureis percuſſit iaculis;Orbi aurea luce affulſit; In Vrbe aurum vertit in auram; In cælum aureis conſcendit gradibus; Famæ auratis euolat plumis; Laudandus aurea lingua non ferreo ſtylo, vt

Dicebam.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE